



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Die Circumcisionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

Qui primâ vigiliâ deprehenduntur vigiles, æquè audiunt *Beati*, atque qui quartâ. Somnus peccati vitandus omnibus, omni ætate: quia nescimus, quâ horâ venturus sit Dominus. *Omni- bus dico, Vigilate, Videte vobis, & providete in futurum, ut & vobis provideat Deus.*

DIE CIRCUMCISIONIS.

THEMA. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus IESVS. Luc. 2.*

Post vota fælucis anni, ut solet, præmissa, dicatur non sufficere optari bonum annum, sed discendum modum eum habendi, quod jam fiet.

A V E.

Si quæremus, quis optimus vitæ nostræ annus, alii aliter respondebunt, pro genio suo & affectu. Christiano optimus ille est, qui maxime de bona æternitate participat, eò tendit, Æternitati pingit, laborat: Agit, Abstinet, Sustinet. Huc refer procemii numerum tertium & quartum. Ut benè agamus, sumamus nomen **J E S U**: ut abstinenceamus, cultrum circumcisionis: ut sustineamus, lacrymas & Sanguinem Christi circumcisi.

Omnia in nomine Domini IESV, bonas actiones, imò & indifferentes, &c. Vide hac de re Chrysostrum Oratione habita Calendis, ad illud *Omnia in gloriam Dei facite*. Flores inscripti nomina Regum, aut potius Regis Regum, nascun-

nascuntur in terris Christianorum.

Non sufficit agere in nomine JESU, nisi abstinence in ejus nomine, circumcidantur non tantum peccata, sed occasiones peccandi. Xenia milites Duci, subditi Principi, filii parentibus hodie offerunt. Christo nihil nos hodie melius, quam seriam voluntatem hoc anno, qui forsitan postremus nobis erit, abstiaendi à peccatis. Quid enim nobis prodest, si universum mundum lucremur, animæ detrimentum patiamur? Quò abière anni præteriti? Quid nobis inde superest, si malè viximus, &c.

Nec tantum mala culpæ caveamus, sed mala pœnæ patiamur. Pati facile est: pauci nostrum sine dolore annum præteritum transière, pauci hunc transibunt. Demus operam, ut benè patiamur. Bonæ voluntatis homo hoc facit: Considerationes potentissimas in eum finem attulimus, toto hoc Tractatu. Addi pro coronide debent lacrymæ Christi. Si tanti facit ipse lacrymas nostras, ut ponat in conspectu suo; ponamus & nos ipsius fletum puerilem in conspectu nostro, jungamus & sanguinem. *Unicus sine peccato, non tamen sine flagello.*

Claudatur concio iteratis votis anni Christiani, & vitæ fælicis. Fieri poterunt verbis, quæ Moses jussu Dei Sacerdotibus olim præscripserat. *Sic benedicetis Filiis Israël, & dicetis eis, &c.*

Potueram isthæc omnia multò fusiùs extendisse. Sed visum est meliùs industriæ Concionatoris aliquid relinquere, ut rem suam faciat.

Sua

Sua enim plerique lubentiùs, honestiùs saltem, dicunt. Quamquam etiam non raro evenit, ut meliùs aliena quidam dicant, quàm alii sua, quia vel sunt corporis habitudine, vel animi præparatione meliore. Quomodò interdum accidit, ut procuratores mercatorum plus eorum distrahendis mercibus lucri faciant, quàm mercatores ipsi : quia negotiationem majore vel industria, vel fælicitate exercent. Id tibi opto, si quis hisce aliisque nostris utêre.

